



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Carthaginense Nomine Secvndvm, Ordine Temporis, inter
Carthaginensia extantia vere postremum, circa tempora Caelestini papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
397.

^b *Taurinense.*] Taurinum quondam Augusta Taurinorum, vrbs est in regione Pedemontana, pulcerrimis ornata structuris, & arce elegantissima. Habet archiepiscopatum & academiam illustrem. Taurinum
qualis vrbs.

^c *Siricii pape.*] Hoc Concilium sub pontificatu Siricii adhuc viuens, & paulo post obitum S. Ambrosii Mediolanensis ecclesie episcopi, habitum fuisse, verba Can. 5. circa finem manifesto indicant. Cum itaque Cæsario & Attico consulibus, teste Marcel. in chronico, Ambrosius defunctus fuerit; iisdemque consulibus Simplicianus eidem suffectus esse reperitur, Can. 48. Conc. Carthag. III. demum etiam non vltra sequentem annum Siricius pontifex superstes fuerit, hanc Synodum præcise decimo Kalend. Octobres, anno Christi 397. qui est Siricii penultimus, Arcadii & Honorii imperatorum 3. celebratam fuisse, necessario est concedendum. Tempus
Synodi.

^d *Proculus.*] Hic est ille Proculus nomine insignis, ab Hieron. epist. 4. ad Rusticum plurimum cõmendatus, quem vna cum S. Ambrosio Aquileiensi Concilio interfuisse supra vidimus. De Proculo plura ibid. Proculus.
Cap. 1.

^e *Felici non communicant.*] Hic est ille Felix a S. Martino & ab Ithacianæ factionis confortibus episcopis sanguinariis ordinatus, cui Galliarum episcopi non communicarunt ob eam causam, de qua supra egimus in notis Concilii Treuirensis. De hoc Concilio vide Baron. anno 397. num. 42. & 43. Felix
quis.
Cap. 5.

^f *Iuxta literas venerabilis memorie Ambrosii episcopi, vel Romane ecclesie pontificis.*] Literas pacificas, quarum communicatione hæretici vel etiam schismatici in communionem ecclesie recipiebantur, dare & impertiri, Romano pontifici ex officio ordinario; Mediolanensis ecclesie episcopo ex eiusdem pontificis delegatione competeat, vt probat Baronius anno 405. num. 55. & sequentibus. Vnde grauius errat, qui ex hoc loco Mediolanensis episcopi, & Romani pontificis parem eandemque potestatem esse existimat. Vide notas Concilii Tolet. I. verbis, *Per sanctum Simplicianum, &c.* An Romani
pontificis
& Mediola-
nensis epi-
scopi æqua-
lis potestas
fuerit.

CONCILIVM CARTHAGINENSE

^b NOMINE SECVNDVM, ORDINE TEMPORIS,
inter Carthaginensia extantia vere postremum,
circa tempora Cælestini papæ.

Probatum a Leone IV. Ca. de libellis. d. 20.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Vt Trinitas & credatur & predicetur.</i> | <i>fiat.</i> |
| II. <i>Vt castitas a Levitis & sacerdotibus custodiatur.</i> | IV. <i>Vt presbyter pœnitentem, iussus ab episcopo suo, reconciliet.</i> |
| III. <i>Vt chrisma & benedictio puellarum, & reconciliatio pœnitentium, a presbyteris non</i> | V. <i>Vt diæcesis, que episcopum nunquam habuit, non habeat.</i> |
| <i>Concil. Tom. 3.</i> | VI. <i>Vt qui criminibus implicati sunt, clericos non accusent.</i> |

Nnn

- VII. *Vt, qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur.*
- VIII. *Vt, si presbyter excommunicatus sacrificare presumpserit, anathematizetur.*
- IX. *Vt, si presbyter inconsulto episcopo agenda celebraverit, honore priuetur.*
- X. *Quanti debeant iudicare sacerdotem, atque * Leuiten.*
- XI. *Vt nullus parochiam alienam presumat.*
- XII. *Vt sine consultu metropolitani nullus ordinetur episcopus.*
- XIII. *Vt, qui contra professionem & subscriptionem suam venerit, in Concilio deponatur.*

GLORIOSISSIMO imperatore ^e Valentiniano Augusto IV. & Theodosio viris clarissimis consulibus, 14. Kalendas Iunii, Carthagine ^d in basilica Perpetua restituta, cum ^e Genedius episcopus vna cum Victore ^{*} Abdertano, & alio Victore Puppitanensi, & ceteris coepiscopis suis prouinciarum diuersarum, confedisset, Genedius episcopus dixit:

CAPITVLA.

I.

Omnipotenti Deo gratias refero, qui permittit, vt secundum commune Concilium habitum in pratorio, etiam ita, iuxta tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem pro fide atque utilitate ecclesiastica veniretis, licet non omnes. Tamen quoniam caritas totum persuadet, vt qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse coniuncti: idcirco, Deo propitio, quia praesentes estis, pari professione fides ecclesiastica, quae per nos traditur, in hoc coetu glorioso primitus confitenda est. Tunc demum, ordo ecclesiasticus singulorum ex consensu omnium est extruendus atque roborandus, vt fratrum & coepiscoporum nuper promotorum mentes de his, quae proponenda sunt, roborentur. Et sicut a patribus certa dispositione accepimus, vt Trinitatem, quam in nostris finibus consecratam retinemus, Patris & Filii & Spiritus S.

Cod. Can.
Can. 1.
Variat paulo
vt infra.

ANNO CHRISTI 397.

vnitatem, quæ nullam noscitur habere notitiam, sicuti didicimus, Dei populos instruamus. Ab vniuersis episcopis dictum est: Plane sic accepimus, sic tenemus, fidem apostolicam sequentes.

II.

f Aurelius episcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam
 * castitatis, per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, presbyteros, & diaconos ita placuit, vt condecet sacrosanctos antistites, & Dei sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inferuiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; vt quod apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniuersis episcopis dictum est: Omnibus placet, vt episcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam ab vxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: Placet, vt in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deseruiunt.

Cod. Can. cap. 3. Dist. 84. Cui in præterito. Dist. 31. Episcopos presbyt.

Cod. Can. cap. 4. Variar paulo, vt infra.

III.

i * Fortunatus episcopus dixit: Si iubet sanctitas vestra, suggero. Nam memini præterito Concilio fuisse statutum, vt chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum consecratio, a presbyteris non fiant. Si quis autem emerferit hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius episcopus dixit: Audiuit dignatio vestra suggestionem fratris & coepiscopi nostri Fortunati. Quid

Cod. Can. cap. 6. 26. q. 6. Si iubet sanctitas.

Concil. Tom. 3.

Nnn ij

ad hæc dicitis? Ab vniuersis episcopis dictum est: ANNO
CXXXVII
Chrismatis confectio, & puellarum consecratio,
a presbyteris non fiant. Vel reconciliare quem-
quam in publica missa, presbytero non licere, hoc
omnibus placet.

IV.

God. Can.
cap. 7.
26. qu. 6.
Aurelius
episcopus.

Aurelius episcopus dixit: Si quisquam in peri-
culo fuerit constitutus, & se * reconciliari diuinis
altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet
vique presbyter consulere episcopum, & sic peri-
clitantem eius præcepto reconciliare. Quam rem
debemus salubri Concilio corroborare. Ab vni-
uersis episcopis dictum est: Placet quod sanctitas
vestra necessario nos instruere dignata est.

V.

16. q. 1. Fe-
lix.

Felix episcopus * Selesmitanus dixit: Etiam,
si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, vt diœceses,
quæ nunquam episcopos * acceperunt, non ha-
beant: & illa diœcesis, quæ aliquando habuit, ha-
beat proprium. Et si accedente tempore, crescen-
te fide, Dei populus multiplicatus desiderauerit
proprium habere rectorem, eius videlicet volun-
tate, in cuius potestate est diœcesis constituta, ha-
beat episcopum. Secundum autem hanc prosecu-
tionem sanctitas vestra æstimet, quid fieri debeat.
Genediusepiscopus dixit: Si placet insinuatio fra-
tris & coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confir-
metur. Ab vniuersis episcopis dictum est, Placet.

VI.

Cod. Can.
18.

Numidius episcopus * Massylitanus dixit: Præ-
terea sunt quamplurimi non bonæ conuersatio-

ANNO
CHRISTI
397.

nis, qui existimant maiores natu vel episcopos, passim vageque in accusationem pulsandos; debent tam facile admitti, necne? Aurelius episcopus dixit: Placet ergo caritati vestræ, vt is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem aduersus maiores natu non habeat accusandi? Ab vniuersis episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur: Omnibus placet.

VII.

* Scilicet
nitianus

Felix episcopus * Selemfitanus dixit: Illud autem vestræ suggero sanctitati, vt si qui pro facinoribus suis de ecclesia pelluntur, & ausi fuerint ad comitatum pergere, aut ad iudicia publica profili- re, aut forsitan ecclesiæ catholicæ limina contur- bare, si episcopus vel clericus cuiuslibet plebis, eos sine * consensu susceperit, de his quid censetis? E-
pigonius episcopus Bullensium regionum dixit: Si quis episcopus, communionem tenens catho- licam, huiusmodi homines, vanis blandimentis incedentes, temere susceperit, sciat cum his se re-
ctissime deprauiatum vel damnatum. Genedius e-
piscopus dixit: Ergo recte suggerunt fratres & co-
episcopi, vt qui merito facinorum suorum ab ec-
clesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo aut presby-
tero vel clerico fuerint in communionem suscepti, refugientes sui episcopi regulare iudicium, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius. Ab vniuersis episcopis dictum est: Omnibus placet.

ff. q. 3.
Qui merito
fac.

VIII.

¹ Alypius episcopus ecclesiæ Tagastensis, lega-
tus prouinciæ Numidiæ, dixit: nec illud præter-

Cod. Can.
c. 10.

Nnn iij

mittendum est, vt si quis forte presbyter ab episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore vel superbia inflatus, putauerit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. ^m Valentinus primæ sedis prouinciæ Numidiæ, dixit: Necessario disciplinæ ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius profecutus est. Proinde, quid exinde videtur vestræ dilectioni, edicite: Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Ab vniuersis episcopis dictum est: Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus, secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de ciuitate & congregatione, in qua fuerit, longius repellatur, ne vel ignorantes, vel simpliciter viuentes, serpentina fraude decipiat; quoniam secundum Apostolum: *Ecclesia vna est, vna fides, vnum baptismum*. Et si querimoniam iustam aduersus episcopum habuerit, inquirendum * erit.

Cod. Can.
c. 11.

Ephes. 4.

I X.

Numidius episcopus * Massylitanus dixit: In quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, præsen-

ANNO
CHRISTI
397.

te & inconsulto episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda, quod disciplinae incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genedius episcopus dixit: Fratris & coepiscopi nostri dignae suggestioni respondere non immoremur. Ab vniuersis episcopis dictum est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

* Selabitanus

Felix episcopus * Selemfelitanus dixit: Etiam hoc adiicio secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis episcopus (quod non opinamur) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare; ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiat, & a sex presbyteris, & a tribus diaconibus, cum proprio suo episcopo. Genedius episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab vniuersis episcopis dictum est, a nobis veterum statuta debere seruari.

Cod. Can.
12. & 13.

15. qu. 7. Felix 3. qu. 8. Suggesto secundum sta.

XI.

* Abziritanus
al. Abziritanus

Victor episcopus * Abderitanus dixit: Roboranda est ecclesiastica disciplina, ne quisquam episcoporum alterius plebes, vel diocesim sua importunitate pulsare debeat. qui hoc facere tentauerit, quemadmodum coercendus est? Genedius episcopus dixit: Et lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quemquam aliena concupiscere. Proinde, quid etiam vobis omnibus placeat, propria voce signate. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet, secundum diuinæ legis & sancti euan-

Exod. 20.
Deut. 5. & 7.
Deut. 19.
Ex. 27.
Leuit. 22.

Matth. 5.

geli auctoritatem, vt nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII.

Nūmidius episcopus * Massylitanus dixit: Alii episcopi vsurpatione quadam existimant, contempto primatu cuiuslibet prouinciæ suæ, ad desiderium populi, episcopum ordinare, sine literis ad se primæ cathedræ manantibus, neque postea acceptis. Quid de hoc statuit sanctitas vestra? Genedius episcopus dixit: Quoniam communis est honorificentia, quam vnicuique seruari oportet, id ipsum fraternitati vestræ conuenit pronuntiare. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet omnibus, vt inconsulto primatu cuiuslibet prouinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum multis episcopis, in quocumque loco sine eius (vt dictum est) præcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant episcopum.

Distinct. 31.
Placet omnibus.

XIII.

Genedius episcopus dixit: omnia ergo, quæ a vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri? Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet, placet, vt custodiantur ab omnibus. Genedius episcopus dixit: Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid statuitis, quod fieri debeat? Ab vniuersis episcopis dictum est: Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genedius episcopus dixit: Gratulemur Domino nostro præstante, quod pro statu ecclesiæ catholicæ cuncta

ANNO CHRISTI 397.

nos salubri consilio seruanda decreuimus. Et ideo, quæ ab omnibus sunt dicta, propria debemus subscriptione firmare. Ab vniuersis episcopis dictum est, Fiat fiat. Et subscripserunt.

ALTERA EDITIO
CAPITVLORVM QVORVMDAM
CONCILII CARTHAGINENSIS II.

ex codice Canonum Græcolatino desumpta.

Γεεληρυκτέας τ' άγίας τριάδος. De Trinitate prædicanda.

β'.

ΣΥΜΠΑΣΑ ή σωόδος έπεν
δέλοντος τ'ε θεοδ, ίση όμολογία ή
έκκλησιαστική πίστις, ή δι ήμ'ήν παραδι-
δομένη εν τώ τή εν δόξω σ'ωελεδ-
ος, ωροποτύπως όμολογητέα β'έν' έ-
πίτ'α ή έκκλησιαστική τάξις μ'ή σ'ωα-
νέσεως έκείνου και όμοδ πάντων φυ-
λακτέα β'έν'. ωρος βεβαιωτέας ή τ'ας
ήν' άδελφών έ σωεποκόπων ήμ'ήν
ήν' εν αρχος χροπονηθέντων διανοίας,
τω'τα δ'εν ωροδενίαι, ά παρ'ά ήν'
πατέρον βεβαία διατυπώσ'ω έρελά-
βορην, ώσε τ'ης τριάδος, τ'ετ' έστ' τ'ε
πατέρος έ τ'ε υ'ος και τ'ε άγιου π'νθίμα-
τος π'νω ενόπι'α, π'νω μηδεμίαι έχ'αν
διαφορην γινωσκομενίω, λ'ω τ'ης ήμε-
τέρας διανοίας έγκα διεροδ'ε'ισαν κα-
τέρορην, και καδώς έμαδορην, ο'τω
εν λαοις έ θεοδ διδάξωρην. όμοίως
δ'ον πάντων τ' επισκόπων ήν' εν α-
ρος ωροαχθέντων έλέχθη φανεροσ
ο'πως δεχόμεθα, ο'πως κατέρορην,
ο'πως διδάσκορην, τ'ή πίστι τ'ή διατ'ελικ'ή άμα τ'ή υμετέρα διδασκαλία έπό-
μ'ηροι.

I I.

VNIVERSVM Concilium Cartha. II.
dixit: Deo propitio, pari cap. 2.
professione fides ecclesiastica,
quæ per nos traditur in hoc cœ-
tu glorioso, primitus constiten-
da est; tunc demum ordo eccle-
siasticus singulorum ex consensu
omniū est asseruandus. Ad cor-
roborandas autem fratrum &
coepiscoporum nostrorum nu-
per promotorum mentes, ea
proponenda sunt, quæ a patri-
bus certa dispositione accep-
imus, vt trinitatis, quam nostris
in sensibus consecratam retine-
mus, Patris, & Filii, & Spiritus
sancti vnitatem, quæ nullam no-
scitur habere differentiam, sic-
uti didicimus, ita Dei populos
instruamus. Item ab vniuersis
episcopis nuper promotis dictū
est: Plane sic accepimus, sic te-
nemus, sic docemus, fidem euan-
gelicam cum vestra doctrina fe-
quentes.

De continentia.

Περὶ ἐγκρατείας.

III.

Carthag. 2.
c. 2.

Aurelius episcopus dixit: Cum praeferito Concilio de continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, episcopos, inquam, presbyteros & diaconos, ita complacuit, ut condecet sacros antistites ac Dei sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inferuiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Domino postulant, impetrare: ut quod apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.

De diuersis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

IV.

Cartha. 11.
c. 2.

Faustinus episcopus ecclesiae Potentinae, prouinciae Piceni, legatus Romanae ecclesiae, dixit: Placet ut episcopus, presbyter & diaconus, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, ab uxoribus se abstineant. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet ut in omnibus pudicitia custodiatur, qui altari inferuiunt.

De auaritia.

V.

Non est in
Carthag. 2.

Aurelius episcopus dixit. Auaritia cupiditas, quam rerum omnium malarum matrem esse, nemo qui dubitet, proinde inhibenda est, ne quis alienos fines vsurpet, aut per praemium termi-

γ.

Αὐρήλιος Ἐπίσκοπος εἶπεν ἐν τῇ προλαβούσῃ συνόδῳ ὡς περὶ ῥηθιμοῦ ἐγκρατείας καὶ ἀγνείας ἐζητήθη, ἤρρεσεν ὡς ἐστὶν τρεῖς βαθμοὶ τούτους ἐστὶν συνδέσμων ἕνι τῷ ἀγνείας διὰ τῆς καθερωστικῆς συμπεπλημένους (Φημὶ δὴ Ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις & Διακόνοις) ὡς πρέπει ὁμοίως Ἐπισκόποις & ἱερέσιν καὶ Λεβίταις καὶ ὑποεργαστοῖς δούλοις καθεσθῆμασιν, ἐγκρατείας εἶναι ἐν παντί, ὅπως διωκηθῶσιν ὁ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀπλῶς αὐτῶσιν, ἐπιτηχεῖν ἵνα καὶ τὸ διὰ τῆς διποσολων παραδοθέν, καὶ ἔξ αὐτῆς τῆς δεξαμένῳ τῶς κρατῆσιν, καὶ ἡμεῖς ὁμοίως φυλάξωμεν.

Περὶ διαφόρων τάξεων ὀφειλουμένων ἀπέχεσθαι γυναικῶν.

δ.

Φαυστίνος Ἐπίσκοπος Πικένου τῆς Γοτεινῆς χώρας, τοποτηρητῆς τῆς ἐκκλησίας Ῥώμης, εἶπεν ἑξῆς ἵνα Ἐπίσκοπος καὶ πρεσβύτερος καὶ διάκονος, καὶ πάντες οἱ τὰ ἱερεῖα ὑπολαβόντες, τῆς σωφροσύνης φυλάκεις, γυναικῶν ἀπέχωνται. Διὰ πάντων τῶν Ἐπισκόπων ἐλέχθη ἑξῆς, ὡς πάντας σωφροσύνην τηρεῖν ἐστὶν πρὸς δυσαστητέῳ παροσεδρόντας, ἢ τοῖς δουλεύοντας.

Περὶ ἀπληστίας.

ε.

Αὐρήλιος Ἐπίσκοπος εἶπε πάλιν τῇ ἀπληστίας Ἐπιθυμίαν, λέγει πάντων τῶν κακῶν μητέρα εἶναι οὐδεὶς ἀμφισβητεῖ, δεόν ἐπέχεσθαι ἵνα μή τις ποῖς ἀλλοτέλοις ὅροις κατακέρχηται, μηδὲ ἵνα

ANNO CHRISTI 597.

δια κέρδος τῶν τῶν πατέρων ὁροις περὶ
ὑπερβαίνει μηδὲ ἵνα παντοίως ἐν κλη-
ρικῶ ὄξον ἐν δότῳ οἰουθήποτε παρ-
ματὸς τὸν λαβεῖν. Ἐπεὶ μὲν νεωστὶ
ἀνερχθέντα ἀμαυρὰ ὄντα, καὶ ἀδόλου
λανθάνοντα, σκοποῦμεθα καὶ ἡμῶν πω-
πωθήσονται: περὶ ὧν φανερότατα ἡ
θεία γραφή ἐξέσπασεν, οὐδεὶς ψιφί-
ζεσθ, ἀλλὰ μάλλον ἐπέσθ, ἀκολούθως
καὶ τὸ ἐν λαϊκοῖς Ἰηλή ψιμον, πολλῶ
μάλλον ἐν κληρικῶς ὀφείλει κατὰ δι-
καζεσθαι. σύμπασα ἡ συνέδος εἶπεν·
οὐδεὶς κατὰ τῶν παρρησιῶν, οὐδεὶς κατὰ
τῶν ἀσθελιῶν χωρὶς κινδύνῳ ἐποίησεν.

Ὡστε χρίσμα ἀπὸ πρεσβυτέρων
μὴ γίνεσθαι.

ς.

Φορτωμάτος Ἰησκοπος εἶπεν· ἐν
ταῖς παρρησιῶν συνέδοσις μεμνή-
μηδα ὀρεθέντα, ὡς χρίσμα ἢ κατα-
λαγνῶ μετανοούτων, ἢ κορών καθε-
ρσθαι ἀπὸ πρεσβυτέρων μὴ γίνεσθαι.
Ἐδὴ δὲ ἡμεῖς ἀναφύη τῶν παρρησιῶν, ἡ
θεὸς περὶ τούτου ὀρέσθαι; Αὐρήλιος
Ἰησκοπος εἶπεν· τὸ ὑμέσθον ἀξίωμα
ἠκούσε τὸ ἀνερχθέν παρὰ τῶν ἀδελφῶν
καὶ συλλειτουργῶν ἡμῶν Φορτωμάτου·
ἡ παρὸς ταῦτα λέγετε; ἀπὸ πάντων τῶν
Ἰησκοπῶν ἐλέχθη· χρίσματὸς ποίη-
σις, καὶ κορῶν καθερσθαι, ἀπὸ πρε-
σβυτέρων μὴ γίνεσθαι· μήτε ὅ καταλλά-
ξαι ἵνα εἰς δημοσίαν λειτουργίαν πρε-
σβυτέρῳ ὄξιναι, ὅτε τοῖς πᾶσιν ὄρεσθαι.

Περὶ τῆς τῶν ἐν κινδύνῳ κατε-
σῶτων καταλλαγῆς.

ζ.

Αὐρήλιος Ἰησκοπος εἶπεν· εἰς
ἐν κινδύνῳ καθεσθῶς ἀγῆσθαι ἐαυτὸν κα-
ταλλαγῶν τοῖς ἱεροῖς μυστηρίοις τῶν
Concil. Tom. 3.

nos patrum statutos transcen-
dat, nec omnino cuiquam cleri-
corum liceat de qualibet re fe-
nus accipere. Quamquam no-
uella suggestiones, quæ vel ob-
scure sunt, vel sub genere la-
tent, inspectæ a nobis formam
accipient: ceterum de quibus
apertissime diuina scriptura fan-
xit, non est ferenda sententia,
sed potius exequenda. Proinde
quod in laicis reprehenditur, id
multo magis debet in clericis
prædamnari. Vniuersum Con-
cilium dixit: Nemo contra pro-
phetas, nemo contra euangelia
facit sine periculo.

*Vt chrisma a presbyteris
non fiat.*

VI.

Fortunatus episcopus dixit: Carthag. II. cap. 3.
In præteritis Conciliis statutum
meminimus esse, vt chrisma vel
reconciliatio penitentium, nec-
non & puellarum consecratio, a
presbyteris non fiant: si quis au-
tem emerferit hoc faciens, quid
de eo statuendum sit? Aurelius
episcopus dixit: Audiuit dignatio
vestra suggestionem fratris
& coepiscopi nostri Fortunati;
quid ad hæc dicitis? Ab vniuer-
sis episcopis dictum est: Chrismatis
consecratio, & puellarum con-
secratio a presbyteris non fiat: vel
reconciliare quemquam in pu-
blica missa presbytero non lice-
re, hoc omnibus placet.

*De his qui in periculo positi
reconciliantur.*

VII.

Aurelius episcopus dixit: Carthag. II. cap. 4.
Si quisquam in periculo fuerit con-
stitutus, & se reconciliari diui-
nis altaribus petierit: si episco-
O o o ij

Handwritten marginal notes in Greek script on the left edge of the page.

pus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, & sic periclitantem eius praecepto reconciliare: quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.

De his qui in accusationem maioris natu veniunt, & ut episcopum nulli criminoso liceat accusare.

VIII.

Cartha. II. c. 6.

Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Praeterea sunt quamplurimi non bonae conuersationis, qui existimant maiores natu, vel episcopos passim vaeque in accusationem pulfandos; debent tam facile admitti necne? Aurelius episcopus dixit: Placet igitur caritati vestrae, ut is qui aliquibus sceleribus inrexitus est, vocem aduersus maiorem natu non habeat accusandi? Ab vniuersis episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur, placet.

De his qui merito facinororum suorum ab ecclesiae congregatione pelluntur.

IX.

Nō extat in Cartha. II.

Augustinus episcopus, legatus prouinciae Numidiae, dixit: Hoc statere dignamini, ut si qui forte merito facinororum suorum ab ecclesia pulsi sunt, & siue ab aliquo episcopo vel presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientes sui episcopi regulare iudicium. Ab vniuersis episcopis dictum est: Omnibus placet.

Ἐπισκόπου ἀπόντος, ὁ Φείλιξ ἐπίσκοπος ὁ πρεσβύτερος ἐρωτήσῃ τὸν Ἐπίσκοπον, καὶ ἔπος τὸ ἐν κινδύῳ κατὰ τὴν ἀνάγκην ἐκείνου ἀφ' ἡμετέρας. Ἐποὶ τὸ ἀποστέλλῃ ὁ Φείλιξ μὲν σωτηριώδη βουλήν κερσοῦσα, ἀπὸ πάντων τῶν ἐπισκόπων ἐλέχθη· ὁ δὲ καὶ ὁ πρὸ ἡμετέρας ἀγνοοῦν ἀνακαίως ἡμᾶς ὡφελῆσαι κατὰ τὴν ἰστέον.

Πεὶ ἐλ τῶν ἐδὼ πατέρας ἀπαμύμων, καὶ ὡς μὴ μὲν διαβέβληται ὁ ἐξείναι Ἐπισκόπου κατηγορεῖν. ἦ.

Νουάδιος Ἐπίσκοπος Μαζουλιτάνος εἶπεν εἰς πολλοὺς ἀγαθῶς αἰσροφῆς, οἵ τινες ἠρώωνται ἐδὼ πατέρας καὶ Ἐπισκόποις, ὡς ἔτυχεν, ὁ Φείλιξ ἐν ἀνάγκῃ ἐδὼ τοιοῦτοις δεῖ κερσοδέχσασθαι, ἢ μὴ; Αὐρήλιος Ἐπίσκοπος εἶπεν· ὁρῶσθε ποῖνον τῆ ἀγάπῃ ὑμῶν, τὸς εἰς ἕνα μίση ἐμπεπλεγμένους καὶ πατέρον Φωνίω κατηγορεῖται ἀπίστευται; ἐν πάντων τῶν Ἐπισκόπων ἐλέχθη· ἐὰν διαβέβληται ὁ τοιοῦτος, μὴ κερσοδέχθῃ.

Πεὶ ἐλ τῶν κατ' ἀξίαν τῶν οἰκείων ἀπημαρτυμένων, ἐν ἑκκλησιαστικῶν συλλόγων ἐκβαλλομένων. θ'.

Αὐγουστίνος Ἐπίσκοπος τοποτηρητὴς τῆς Νουμιδικῆς χώρας εἶπεν· ὅσοι ὀρῶσιν κατὰ τὴν ἀνάγκην, ὡς ἐδὼ ἀξίως τῶν οἰκείων ἐκκλησιαστικῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας διωχθέντας, ἐὰν τις Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος δεξιῶται εἰς κοινωνίαν, καὶ αὐτὸς ἐλε μὲν τῶ ἴσω ἐκκλησιαστικῶν Φανήματα τοῖς τῶ οἰκείου Ἐπισκόπου πλὴν κανονικῶν ἢ Φων δὲ τὸ Φύρον. ἀπὸ πάντων τῶν Ἐπισκόπων ἐλέχθη· πάντων δεξιῶται.

ANNO
CIVILIS
1927

ANNO CHRISTI 397.

Περὶ πρεσβυτέρων τῶν ἀπὸ τῶν οἰκείων κατὰ γνώσεσιν ἐπισκόπων.

De presbyteris, qui a propriis corripuntur episcopis.

X.

Alypius episcopus, legatus ^{Cartha. II. cap. 8.} provinciae Numidia, dixit: Nec illud praetermittendum est, ut si quis forte presbyter ab episcopo suo correptus, tumore vel superbia inflatus putauerit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primae sedis provinciae Numidia, dixit: Necessario disciplinae ecclesiasticae & fidei congrua sunt, quae frater noster Alypius persecutus est: proinde quid videatur vestrae dilectioni, edicite.

Αὐρήλιος ἐπίσκοπος τοποτηρητῆς τῆς Νομηδικῆς χώρας εἶπεν· ἐκ ἐκείνου δεῖ παρέασαι, ἵνα εἰάν τις τυχόν πρεσβυτέρου ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου κατὰ γνώσεσιν, φισιότητι ἐπιπέσει καὶ ἐπιφρονίᾳ ἐπιπέσει, ἢ γρηγορῶς ὀφείλειν κερωρισμένους ἀγία τῶ θεῷ προσφέρειν, ἢ ἄλλο ἀνορθοῦν θυσιαστήριον οὐκ εἶναι καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πίστεως καὶ κατὰ συνέσειας· ὁ ποιοῦτος ἀτιμώρητος μὴ ἐξέλθῃ. Βαλεντίνος ἐπίσκοπος τῆς πρώτης καθέδρας τῆς Νομηδικῆς χώρας εἶπεν· ἀναγκάτως τῆς ἐκκλησιαστικῆς πίστεως καὶ πᾶσι σύμφωνά εἰσι τὰ παρα τῶ ἀδελφοῦ ἡμῶν Αὐλπίου προσενεχθέντα· λοιπὸν τὴ δοκεῖ τῆ ὑμετέρᾳ ἀγάπῃ, εἴπατε.

Εἰάν τις πρεσβυτέρου καὶ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου φισιότητι ἁγία ποιήσῃ, ἀνάθεμα ἐστω.

Si quis presbyter contra episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit.

XI.

Ab vniuersis episcopis dictum ^{Carthag. II. cap. 8.} est: Si quis presbyter a praeposito suo correptus fuerit, debet vtiq; apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari: quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus secernendum se ab episcopi sui communionem duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat: ac si querimoniam iustam aduersus episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Ἰα'. Ἀπὸ πάντων τῶν ἐπισκόπων ἐλέχθη· εἰάν τις πρεσβυτέρου ἐκ τῆς διαγωγῆς αὐτοῦ κατὰ γνώσεσιν, ὀφείλει ὁ ποιοῦτος τοῖς γειτονικοῖς ἐπισκόποις προσεγγίλαι· ἵνα αὐτοῖς ἐπιπέσει ἀκροάσωνται, καὶ δι' αὐτῶν τῶ ἰδίου ἐπισκόπου κατὰ γνώσεσιν· τὸ δὲ εἰάν μὴ ποιήσῃ, ἀλλ' ὀφείλει ἐπιπέσει φισιότητι ἐπιπέσει, ἢ γρηγορῶς ὀφείλειν κερωρισμένους ἀγία τῶ θεῷ προσφέρειν, ἢ ἄλλο ἀνορθοῦν θυσιαστήριον οὐκ εἶναι καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πίστεως καὶ κατὰ συνέσειας· ὁ ποιοῦτος ἀτιμώρητος μὴ ἐξέλθῃ. Βαλεντίνος ἐπίσκοπος τῆς πρώτης καθέδρας τῆς Νομηδικῆς χώρας εἶπεν· ἀναγκάτως τῆς ἐκκλησιαστικῆς πίστεως καὶ πᾶσι σύμφωνά εἰσι τὰ παρα τῶ ἀδελφοῦ ἡμῶν Αὐλπίου προσενεχθέντα· λοιπὸν τὴ δοκεῖ τῆ ὑμετέρᾳ ἀγάπῃ, εἴπατε.



Si quis episcopus absque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, a XII. episcopis audiatur.

Εάν τις ἐπίσκοπος χωρὶς κειροδοσίου ὁδοῦ ἐκλήματι περιελθῆν, ὁποῦ τὸ ἀκουσθῆ, δὲ δὲ δέκα ἐπισκόπων.

XII.

Carthag. II. cap. 10.

Felix episcopus dixit: Suggesto secundum statuta veterum Conciliorum, vt si quis episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, a XII. episcopis, & presbyter a sex episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, & diaconus a tribus.

18. Φηλὶξ ἐπίσκοπος εἶπεν ἀναφείτω καὶ τὸ ὁμοῦ ἐκ τῆς παλαιᾶς συνόδου, ἵνα εἰάν τις ἐπίσκοπος, ὡς ἀπίθ, ἐν τῷ ἐκλήματι περιέλθῃ, ἐκλήματα πολλὰ ἀνάγκη τῷ μὴ δυνάσθαι πολλοὺς συναλεῖν, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι αὐτὸν ἐν τῷ ἐκλήματι, δὲ δέκα ἐπισκόπων ἀκουσθῆ. Ἐὸ πρεσβύτερος, δὲ ἐξ ἐπισκόπων καὶ τῷ ἰδίου καὶ ἰακόνου, δὲ δὲ τριῶν.

Vt non liceat episcopum nisi a plurimis ordinari: sed si necessitas fuerit, vel a tribus ordinetur episcopis.

Περὶ τῶ μὴ εἶναι ἐπίσκοπον, εἰ μὴ δὲ πολλῶν, χρὸν εἶναι εἰς ἀνάγκη κλήματα, καὶ δὲ τριῶν ἐπίσκοπος χρὸν ἰακόνου.

XIII.

Carthag. II. cap. 10.

Aurelius episcopus dixit: Quid ad hæc dicit sanctitas vestra: ab vniuersis episcopis dictū est. A nobis veterum statuta debere seruari, sicuti & inconsulto primate cuiuslibet prouinciæ, tam facile non præsumant multi congregati episcopi episcopum ordinare: nisi si necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, eius præcepto ordinare debent episcopum: & si quis contra suam professionē vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit.

19. Αὐρήλιος ἐπίσκοπος εἶπε πρὸς πάντας λέγει ὑμῶν ἀγιστάτη; δὲ πάντων ἐπισκόπων ἐλέχθη ὁ φηλὶξ καὶ ἡμῶν τὸ ὁμοῦ ἐκ τῆς παλαιᾶς συναγωγῆς ὡς ἐπὶ ἀβούλων οἱ πρωτόκλιτοι τῶν ἐπισκόπων ἐπαρχίας οὐ καταπολιῶσι. πολλοὶ οὖν ἐπίσκοποι συναλεῖν, ἐπίσκοπον χρὸν ἰακόνου εἰς ἀνάγκη κλήματα, τρεῖς ἐπίσκοποι ἐν οἷσιν ἂν ἴσθαι ὡς, τῷ ἰακόνου ἀναγνώστῳ ἐκλήματι χρὸν ἰακόνου ἐπίσκοπον. καὶ εἰάν τις ἐν τῷ ἐκλήματι τῷ ἰδίου ὁμοῦ γὰ ἢ τῷ ἰακόνου, αὐτὸς εἰ αὐτὸν ἀποσπέρση τῆς ἡμῶν.

NOTÆ.

Causa Concilii. Quo tempore celebratum fuerit.

^a Concilium Carthaginense.] Causam habiti Concilii acta manifestant, nimirum quæ ad mores ecclesiæ Africanæ restaurandos spectabant, constituta fuisset. ^b Nomine secundum, ordine temporis.] Hoc Concilium vere post omnia Carthaginensia celebratum fuisset, non modo ex Canonibus, verumetiam episcoporum præsentium nominibus euidentissime



ANNO
CHRISTI
397.

probatur. Si, quod habent acta Concilii, Valentinus Numidiæ primas, Xantippi successor, huic Concilio interfuerit, post Mileuitanum, adeoque post quinque saltem anteriora, hoc cui Genedius præfuit, quodque secundum appellatur, habitum fuisse oportet. Nam Mileuitano Concilio Xantippus Numidiæ primas Valentini antecessor interfuit. Illud igitur, in quo Valentinus episcopalem sententiam decisuam dixisse scribitur, ante Mileuitanum sub Innocentio, multo minus ante tria Carthaginensia sub Siricio & Anastasio celebrata habitum fuisse, sustineri non potest. Valentinus Numidiæ primas, initio actorum Carthaginensis VI. & in literis synodalibus ad Bonifacium & Cælestinum pontificem scriptis, nominatim recensetur. Xantippi igitur non antecessorem, sed potius successorem fuisse, nemini dubium esse potest. Secundo, anterioribus Carthaginensibus omnibus Aurelium episcopum præsedisse, ex actis eorundem Conciliorum aperte constat. In hoc cum Aurelio Carthaginensi episcopo, Genedius Carthaginensis re & nomine episcopus præfedit, quod ille literis suis Carthagine celebrandum indixit, in quo primo loco sedens primam sententiam pronuntiauit. Dubium itaque nullum est, quin Aurelius post sex aut septem Concilia Carthagine habita, post multos in ecclesia Carthaginensi exantlatos labores, episcopatu se abdicarit, atque ad imitationem Valerii Hippone S. Augustinum sustentis, in Genedium munus episcopale Carthaginensis ecclesiæ transtulerit, sicque auctoritate Genedii Carthaginensis hoc Concilium postremo loco Carthagine habitum fuerit. Nam inauditum est, ut alius quam Carthaginensis episcopus Carthagine Concilium indixerit, per literas conuocarit, atque in eo primo loco sedens primam sententiam pronuntiauerit. Quod Aurelius Carthaginensis episcopus interfuisse, sententiam suam dixisse scribitur, honoris causa accidit. Tertio sub pontificatu Cælestini post Africanum, adeoque post omnia Carthaginensia Concilia hanc Synodum Carthaginensem, quæ sub præsidio Genedii habita est, celebratam fuisse, secundus & tertius Canon huius Concilii, in quibus Africani Concilii anno primo Cælestini pontificis celebrati Canones, decimus nimirum & vigesimus septimus, citati reperiuntur, manifestissime testantur. Quarto demum, ex addita ad secundum Canonem huius Concilii antiqua lectione habetur expressum, quod Faustinus episcopus Potentinus in Piceno, legatus a latere a Bonifacio papa missus, in hoc Concilio sententiam dixerit. Siue igitur in Africa hucusque perseuerauerit, siue iterum a Cælestino missus fuerit, ex præsentia illius colligitur, hanc Synodum Carthaginensem sub pontificatu Cælestini, post Africanum aliaque omnia Carthaginensia Concilia habitam & congregatam fuisse. Hæc ex Baronii appendice ad tom. 5. annum 397. Plura vide infra verbis sequentibus.

Xantippus primas Numidiæ tempore Concilii Mileuitani.

Valentinus primatum Numidiæ quo tempore tenuerit.

[*Valentiniano Augusto IV.*] In nota consulum collector manifeste errat. Nusquam enim Valentinianus Augustus cum Theodosio, sed cum Neoterio anno Christi 390. consulatum gessisse

Consularis nota erronea.

Alypius
quando
presbyter
& episco-
pus factus.

reperitur. Nec est quod dici possit pro Neoterio librariorum vitio Theodosium scriptum esse, siquidem Alypius, qui in hac Synodo Tagastensis episcopus nominatur, Valentiniano Augusto IV. & Neoterio consulibus, tantum adhuc presbyter existens, non nisi quatuor annis post prædictorum consulatum episcopus ordinatus fuerit, ut patet apud Baron. anno 394. Verius est librariorum vitio ordinem consulum inuersum esse, ut loco Theodosii iunioris XI. & Valentiniani, qui post Castinum & Victorem, anno secundo Cælestini papæ absoluto consulatum gesserunt, posuerint consules Valentinianum & Theodosium, addiderintque IV. tamquam notam numeri, quæ designabat Theodosium iuniorem. Hæc Baron. prædicto loco.

Ecclesia
Perpetue
cur Restitu-
ta appellata
fuerit.

^d *In basilica Perpetua.*] Primaria nimirum vrbis ecclesia, denominata a primaria martyre Perpetua. Nam ut auctor est Victor Viticensis episcopus lib. 1. de persecut. Vandalica, Perpetua Carthagine maior basilica fuit, vbi corpora sanctorum martyrum Perpetuæ & Felicitatis sepulta erant. Eadem nominata est *Restituta*, quod a Donatistis olim occupatam & diutius possessam, Constantius aut eius posterii imperatores catholici, catholicis restituerint atque reddiderint. Ita Baron. anno 397. num. 44. & 45. A Restituta martyre Carthagine passa, vel a Restituto Carthaginensi episcopo, illam basilicam, in qua hoc aliaque complura Carthaginensia Concilia habita sunt, denominatam fuisse, dici posset, nisi hoc loco eadem basilica alio nomine etiam Perpetua appellaretur.

Genedius
episcopus
Carthagi-
nensis,

^e *Genedius episcopus.*] Genedius absque controuersia cognoscitur fuisse episcopus Carthaginensis, utpote qui non solum primo loco sedit, primusque omnium sententiam dixit, sed & suis ipse literis Synodum conuocauit. Quod non nisi primati licuisse docet S. Augustinus epistola ad Victorium. Hunc Grato successisse, præcessisse vero Aurelium, propter rationes supra dictas dici non potest. Quod vero Aurelius factum Valerii Hipponensis imitatus, onus episcopale in Genedium transtulerit, cumque Genedio ipse Aurelius honoris causa federit, omnino est dicendum: propterea quod duos eiusdem sedis episcopos simul esse non licuerit. Baron. prædicto loco in appendice.

Aurelius
an fuerit
episcopus.

^f *Aurelius episcopus.*] Carthaginensis nimirum, sic dictus, quod cum Genedio, in quem senio fatiscens episcopatum refuderat, honoris causa federit, suffragiique dicendi prærogatiuam obtinuerit.

^g *Cum in præterito Concilio de continentia & castitatis, &c.*] Nimirum Africano, quod Castino atque Victore consulibus, anno primo Cælestini pontificis, qui est Christi 424. celebratum est. Illius enim Canone 37. de continentia clericorum constitutum fuit id, quod hoc loco insinuatur & allegatur. Quibus illa quæ de tempore huius Concilii supra diximus, non parum corroborantur.

Coninges
ad sacros
ordines ad-
sciti, vsu
coniugii
abstine-
bant.

^h *Etiam ab vxoribus se abstineant.*] Hic Canon post sextum apostolorum significat olim accidisse, ut moribus spectatissimi, quantumlibet vxorem haberent, in episcopos eligerentur; ea tamē conditione, ut ad sacros ordines adsciti, ab vsu cōiugii penitus sibi temperarent. Hila-

ANNO
CHRISTI
597.

Hilarium Pictaviensem episcopum ex coniugato cælibem factum esse, supra diximus sub Liberio. Qua de causa id olim acciderit, aut permillum fuerit, vide Baron. anno 58. num. 19. & 20. Item notas Can. 6. apost.

ⁱ *Faufstinus episcopus.*] Hic est ille, qui a Bonifacio papa legatus a la-
tere in Africam missus, multis Africanis Conciliis sub Bonifacio & Cælestino habitis interfuit. ^{Faufstinus quis.}

^k *Memini præterito Concilio.*] Canone nimirum 10. Conc. Africani.
^l *Alypius episcopus.*] De Alypio vide quæ diximus supra verbo *Valentimano.*

^m *Valentinus prima sedis provincia Numidia.*] Vide quæ de Valentino diximus supra verbo *Nomine II.* &c.

CONCILIVM CARTHAGINENSE
NOMINE TERTIVM, ^bORDINE TEMPORIS,
inter ea quæ post Nicænum extant, vere secundum.
Circa tempora Siricii papæ.

Probatum a Leone IV. d. 20. capit. de libellis.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Vt comprouinciales episcopi de Pascha suum inquirent primatē.</i> | <i>ferentibus.</i> |
| II. <i>Vt per singulos annos Concilium fiat.</i> | XI. <i>Vt filii clericorum ad spectacula non accedant.</i> |
| III. <i>Vt episcopus, priusquam ordinetur, Canones agnoscat.</i> | XII. <i>Vt clericorum matrimonii infideles non socientur.</i> |
| IV. <i>Vt Leuitæ & virgines ante 25. annos non consecrentur.</i> | XIII. <i>Vt clerici de rebus suis nihil infidelibus conferant.</i> |
| V. <i>Vt sacramentum catechumenis non prebeat.</i> | XIV. <i>Vt clerici filios suos a sua potestate exire non sinant, nisi ætate & moribus comprobatos.</i> |
| VI. <i>Vt baptismum mortuis vel eucharistia non detur.</i> | XV. <i>Vt clerici non sint conductores vel negotiatores.</i> |
| VII. <i>Vt episcopus accusatus, ubi vel infra quod tēpus examinatur.</i> | XVI. <i>Vt clerici non sint usurarii.</i> |
| VIII. <i>De presbyteris & diaconibus, quanti episcopi eos audiant.</i> | XVII. <i>Vt cum clericis extranea femina non cohabitent.</i> |
| IX. <i>Vt clerici publica iudicia non appellent.</i> | XVIII. <i>Vt clerici non ordinentur, nisi omnes, qui cum eis sunt, fideles existant.</i> |
| X. <i>Si a quoquam ab aliis iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices & ecclesiasticos maioris auctoritatis prouocatum fuerit, non obesse prioribus, diuersas sententias pro-</i> | XIX. <i>Vt clerici, cum ad pubertatem venerint, aut coniugium, aut castitatem profiteantur.</i> |
| Concil. Tom. 3. | XX. <i>Vt plebes alienas alius episcopus non usurpet.</i> |